

CAPUT IV.

DE ACTIBUS POENITENTIS
IN SACRAMENTO POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE.

§. I.

De contritione generatim.

THESIS XX.

(Suppl. q. 1. a. 1.)

Contritio ad iustificationem necessaria est essentialiter detestatio et dolor peccati commissi et propositum non peccandi de cetero; attamen non est semper necesse ut propositum sit formale et explicitum, sed esse quoque potest virtuale et implicitum.

I. Ut iam monuimus Th. I et II, detestatio est actus voluntatis, qui hoc modo exprimitur, *vellem non peccasse*; hic porro actus est actus odii erga peccatum, voluntas enim nolens peccasse, ipsum peccatum abominatur. Dolor alius est in sensu, alius in voluntate; dolor in voluntate, de hoc enim loquimur, est talis actus, quo voluntas se habet erga malum, qui respondet actui gaudii, quo eadem se habet erga bonum; et sicut gaudium ab amore et desiderio distinguitur, ita dolor seu tristitia distinguitur ab odio et fuga, ideoque et a detestatione, quae odium quoddam est abominationis mali praeteriti a se admissi. Isti duo actus respiciunt peccatum praeteritum: propositum vero respicit futurum, est enim firma voluntas non peccandi in posterum.

Iam vero sunt qui putent detestationem non spectare essentialiter ad contritionem, sed se habere potius tanquam conditionem necessariam, ut existat dolor, qui est essentialiter contritio. Ita Billuart Tract. De Poenit. Dissert. IV, a. 1.

Quoad propositum autem, arbitrantur quidam ipsum debere esse explicitum, ut sit contritio; ita Simmonet De Poenit. D. V, a. 1. Bellarminus De Poenit. Lib. II, c. 6. atque Toletus in Instructione L. III, c. 4. id tanquam probabilius habet; alii vero contendunt satis esse aliquando propositum virtuale, quae est sententia forte communior. Cf. Suarez Disp. IV, Sect. 3. Haec omnis quaestio est inter theologos catholicos.

Adverte nos loqui de contritione, quae necessaria est ad assequendam iustificationem. Essentiale autem dupliciter dici potest: nempe 1^o quod essentiam constituit, 2^o quod ad essentiam necessario consequitur.

II. Contritio est essentialiter detestatio peccati commissi. Quod contritus peccatum detestetur et non possit esse contritio sine detestatione nemo negat, et res est evidens; sed dicimus praeterea detestationem peccati requiri ad contritionem, non ut praesuppositum eius, sed ut eiusdem intrinsecum elementum. Probamus id 1) auctoritate Concilii Tridentini, quod Sess. XIV, cp. 4. ita definit Contritionem: *animi dolor ac detestatio peccati commissi cum proposito non peccandi de cetero*: porro quae in definitione ponuntur, constituunt essentiam rei: ergo. 2) Contritio prout respicit peccatum praeteritum est formaliter actus liber; atqui ex his duobus actibus qui peccatum praeteritum respiciunt, sola detestatio est formaliter libera; dolor enim eatenus est liber, quatenus libera est detestatio, ad quam naturaliter consequitur: sicut enim fieri non potest ut non gaudeas de bono quod habes, quodque apprehendis ut bonum, et tanquam bonum diligis; ita, si capax es doloris, fieri nequit ut non doleas de malo, quod in te est, quod apprehendis ut malum et tanquam malum odio prosequeris seu detestaris; ergo dolor liber est, quia est libera detestatio: si ergo detestatio non spectat ad essentiam contritionis, haec prout talis non est formaliter libera, quatenus peccatum praeteritum respicit: id vero admitti nequit: ergo.

Contritio est essentialiter, saltem secundo modo, etiam dolor. Probatur 1) rursus ex Conc. Trid. dolor enim sicut et detestatio ponitur in eius definitione. Idem ex auctoritate Eugenii IV, in decreto pro Armenis, docentis primum actum poenitentis esse cordis contritionem, « ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ».

2) Penes Patres quoque poenitentia interior, quae contritio est, nomine *fletus* et *lacrimarum* significatur: Gregorius in Evangelia hom. 14: « Poenitentia est peccata praeterita plangere et plangenda iterum non committere ». Chrysost. in Matth. hom. 23. « Post tot tantaque flagitia, ab omnibus est mundatus poenitentiae fletu ». Pseudohieronymus (seu auctor Breviarii in Psalmos inter opera s. Hieronymi Oper. Vol. ult.) in Psalm. CXVIII, 136. « Vera est enim poenitentia, iugiter fletibus commissa diluere, et abluta non iterare ». Unde generatim Poenitentia interior nomine doloris exprimitur. August. Enchir. c. 65. « In actione poenitentiae non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit ». Atque haec est ratio loquendi communis fidelium.

3) Nequit esse vera detestatio peccati admissi in eo, qui tristitiae sive doloris capax est, quin sit etiam cum tristitia et dolore; ex hoc autem naturali nexu illud saltem consequitur veram contritionem esse non posse sine dolore. Hoc vero argumentum id certe probat, ut contritio sit, debere esse quoque dolorem cum detestatione peccati. Quare si non per se, saltem propter hanc naturalem connexionem essentialis est dolor contritioni.

Imo 4) ipse finis contritionis postulare videtur per se dolorem: nam contritio non est tantum virtualis, sed formalis poenitentia, et est motus animi in peccatum admissum, prout ipsum est *offensa Dei expiabilis a peccatore*; scilicet, quamvis non sit necesse ut haec explicita intentio existat expiandi peccatum, actus tamen animi poenitentis est talis ut sit expiatio quaedam peccati; expiatio autem fit per aliquam poenam, poena autem animi est dolor: ergo dolor spectat ad contritionem essentialiter, sicut ipsa est essentialiter expiatio quaedam peccati.

Itaque dolor est certe essentialis contritioni secundo modo, quatenus necessario consequitur detestationem peccati, quae elicitur a peccatore se disponente ad iustificationem: et est etiam essentialis primo modo, quatenus complet essentialiam illius actus contritionis, qui in definitionibus Ecclesiae, et doctrina Patrum nobis proponitur, quique esse debet proprius poenitentium viatorum.

Nota. Catechismus Romanus (Sac. Poenit. n. 24) cum docet dolorem esse effectum contritionis, non de voluntatis tristitia loquitur, sed de dolore, qui est in inferiori parte animae, quae vim concupiscendi habet.

III. Isti duo actus detestatio et dolor, cum in idem obiectum feruntur, alterque ex altero naturaliter oritur, simul sunt, et se habent ad modum unius; dolor nempe est veluti modus quidam animi detestantis peccatum; unde ad detestationem comparatur tanquam modus eius: et idcirco unus completus constituitur actus, scilicet detestatio dolorosa.

IV. Propositum non peccandi de cetero spectat ad essentialiam contritionis. Probatur rursus 1) ex Concilii Tridentini et Eugenii definitione, in qua hoc quoque elementum ponitur. 2) Neque vere odit offensam Dei admissam, neque de ea vere dolet, qui quoad futurum adhuc est indifferens tum ad peccandum tum ad non peccandum: ut ergo sit vera detestatio et verus dolor peccati sui, debet esse in voluntate etiam propositum non peccandi in futuro. Aliis verbis: vera detestatio verusque dolor peccati admissi debet esse talis, ut voluntas ipsum peccatum non solum in abstracto, sed in concreto, h. e. peccatum, quod a se admittatur, odio habeat ab eoque prorsus recedat;

atque odium peccati est etiam voluntas illud non amplius admittendi: ergo. Et sane 3) nequit quis ad reconciliationem esse dispositus qui vel paratus sit adhuc offendere Deum, vel indifferenter ad hoc se habeat; qui enim ita est animo comparatus, non meretur veniam ab offensore, sed potius indignationem: igitur essentialis est contritioni, quae dispositio est ad iustificationem, ut voluntas ita sit comparata, ut nolit amplius peccare seu ut habeat propositum non peccandi.

V. Quaestio est utrum ad contritionem, quae ad iustificationem disponit, necesse sit propositum esse explicitum seu formale, an satis sit implicitum et virtuale. Formale est quod actu distincto profertur, virtuale est quod ipso actu detestationis continetur, qui enim vere odit peccatum est hoc ipso ita animo comparatus ut nolit amplius peccare. Quaestio est ergo utrum propositum virtuale sufficiat; h. e. utrum detestatio dolorosa peccati sine explicito proposito sit vera contritio; habeat nempe omnia essentialia elementa contritionis disponentis ad iustificationem.

Non negant assertores necessitatis propositi expliciti, ipsum virtualiter contineri in detestatione peccati, sed negant virtuale sufficere ad hoc ut habeatur actus, qui quadam ratione possit dici contritio, seu negant satis esse ad hoc ut sit ea contritio sive perfecta sive imperfecta, quae est dispositio necessaria ad iustificationem.

Haec nobis certa videntur. 1) Si dolor non sit ex motivo universalis, sed ex aliquo speciali motivo, tunc necessarium est propositum formale. Potest enim secundum quosdam, aliis negantibus (vide Pallavicini De Poenitentia c. 28), potest, inquam, concipi dolor, qui cum Sacramento sufficiat, ex peculiari motivo (cf. Th. IV, in fine); satis est enim, aiunt, quoad dolorem ut animus detestetur peccata commissa. At propositum extendi debet ad omnia peccata; debet nempe esse voluntas abstinendi et a commissis et ab omnibus aliis peccatis. Iam vero si motivum dolendi est speciale, proprium certorum peccatorum, ipsum continebit quidem virtualiter propositum abstinendi ab iis peccatis, nequit vero virtualiter continere propositum universale. Cum igitur huiusmodi propositum postuletur, opus est ut explicite fiat. Ita Lugus Disp. XIV, §. V.

2) Cum motivum doloris est universale, ut amor Dei, timor inferni, desiderium beatitudinis, propositum in dolore virtualiter continetur; atque istud sufficit ad veram contritionem, sive perfectam sive imperfectam, cum poenitens ad futurum non advertens, non elicit propositum formale. Sane propositum formale vel requiritur necessitate medii, vel necessitate praecepti ad iustificationem. Si necessitate sola praecepti, eius defectus obstat idoneae dispositioni

poenitentis ad reconciliationem, quatenus peccet poenitens non eliciendo propositum; at cum inadvertentia est causa eius defectus, nulla culpa est; idcirco si propositum formale requiritur sola necessitate praecepti, nequit in hac hypothese eius defectus nocere poenitenti. Si vero nocet, etsi non peccetur, ista omissio, dicendum est propositum formale requiri etiam necessitate medii (Th. VII. n. I). Atqui id nequit admitti. Nam quod necessitate medii necessarium est adultis, necessarium est ipsis vel in re vel in voto, ut cum in re haberi nequit, satis sit illud habere in voto, si res est, quae haberi possit in voto. Atqui posita inadvertentia seu defectu cogitationis futuri, est vere impossibile homini elicere propositum formale cavendi in posterum peccata: detestatio vero peccati ex motivo universali virtualiter continens propositum evitandi quodvis peccatum, votum eius certe continet, ita ut si adverteret animus, statim vi illius detestationis eliceret actum explicitum propositi: ergo tunc satis est ut habeatur in voto. Et re quidem vera, cum memoria peccati non occurrit, sufficiens est dispositio proxima ad iustificationem poenitentia sive contritio virtualis, qui est amor Dei super omnia; multo ergo magis sufficit contritio, cum non subit cogitatio de futuro.

Praeterea ut contritio imperfecta sit sufficiens dispositio ad iustificationem in Sacramento, Conc. Trid. id requirit Sess. XIV, cp. 4. *ut voluntatem peccandi excludat*; atqui si ea concipiatur ex motivo universali excludit per se, absque alio actu expliciti propositi, voluntatem peccandi et quatenus eam excludit est virtuale propositum; ergo id sufficit saltem in hypothese, quam diximus.

Tandem huic sententiae favere videtur ipsa definitio contritionis data a Tridentino; in ea enim *propositum* ponitur in obliquo, *cum proposito non peccandi*, ac si Concilium significare vellet detestationem et dolorem continere propositum, eamque detestationem dolorosam esse veram contritionem, quae propositum continet. Porro detestatio ex motivo universali continet virtute propositum.

Arguitur in oppositum. Contritio, quae sit idonea dispositio ad iustificationem, ea est, quam Scriptura, Patres et Concilia nobis repraesentant; atqui ex his colligitur non solum formalem detestationem, sed et formale propositum requiri. Sane Scriptura eo modo quo detestationem, etiam propositum requirit, Isaiae I, 16. 18. *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse, discite benefacere, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Ezech. XIX, 21. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est*

non recordabor. Iam vero iustificatio heic promittitur illi qui poenitentiam agit et qui quiescit agere perverse seu qui custodit praecepta Dei: porro nequit intelligi actualis observatio mandatorum, secus enim ad longum tempus vel in fine vitae expectanda esset remissio; cum tamen idem propheta Ezechiel dicat c. XXXIII, 12. *quod impietas impii non nocebit ei (h. e. iustificabitur) in quocumque die conversus fuerit ab impietate sua. Intelligenda ergo restat observatio legis in proposito: ergo. Item Patres docent poenitentiam esse, admissa peccata plangere et plangenda non committere, quae definitio ab omnibus Theologis recipitur. Tandem Concilium Tridentinum post Eugenium diserte ad contritionem requirit propositum: atque Sess. VI, cp. 6. inter dispositiones necessarias ad iustificationem, post detestationem peccati ponit distincte propositum suscipiendi baptismum, inchoandi novam vitam et servandi divina mandata. Neque dici potest, quod in definitione loquatur de proposito implicito, quia cum istud iam in detestatione contineatur, nulloque modo ab ea separari possit, sine causa in definitione addita fuissent ea verba; quemadmodum supervacanea fuissent ista: *cum proposito implicito non peccandi de cetero.**

Et sane sicut detestatio continet virtualiter propositum, etiam propositum continet detestationem; si ergo sufficit propositum virtuale in detestatione, sufficit quoque detestatio virtualis in proposito; nulla enim reddi ratio potest, cur haec paria non sint: atqui nemo concedit sufficere solum formale propositum: ergo. Ita Bellarminus l. e.

Respondemus ad primum adhibita ipsa interpretatione adversariorum; intelligendam enim aiunt observationem legis in voto; atqui hoc votum in ipsa detestatione peccati etiam continetur. Ad secundum primo respondemus idem; deinde advertimus Patres non infrequenter, quemadmodum et Scriptura solet, loqui non de ea poenitentia tantum, quae satis sit ad gratiam promerendam, sed quae ad salutem tandem conducat; quae proinde oportet ut sit stabilis; subsequenter enim peccata fructum vitae aeternae prorsus impediunt.

Ad tertium dicimus verbis Conc. Trid. id quidem contineri, quod nempe propositum sit necessarium ad contritionem, sed non contineri quod semper debeat esse explicitum. Et sane Sess. VI, cp. 6. sicut mentio fit propositi servandi divina mandata, ita mentio fit quoque propositi suscipiendi baptismum; atqui hoc non oportet ut sit semper explicitum, ergo neque illud.

Ratio vero fuit cur distincta mentio propositi fieret, primo quidem ut declararetur natura contritionis, quae ipsum quoque includit; secundo quia si potest esse detestatio peccati, quae non contineat virtualiter propositum, tunc necesse est ut explicite fiat.

Ad quartum dicendum est quod propositum, prout oritur ex odio peccati, quod sit vel ex amore vel metu, continet virtualiter detestationem peccati praeteriti, etsi de eo non cogitetur; sed illud continet propter odium peccati a quo procedit; odium autem est detestatio peccati; et qui peccatum detestatur, paratus est animo detestari sua peccata praeterita, si ea recordetur. At propositum per se abstinendi in futurum ab aliqua re non includit detestationem actuum praeteritorum; sic qui nunc vult pauperem vitam agere, non ideo detestatur priorem vitam actam in divitiis. Itaque detestatio peccati ex motivo generali continet semper et ex se propositum: at propositum neque ex se neque semper continet detestationem et dolorem. Idecirco liquet ea non esse paria.

Dices: ergo si adsit odium peccati et propositum non peccandi, id sufficit et si non habeatur formalis detestatio peccati praeteriti? Respondeo distinguendo; si odium peccati sit ex amore Dei, et peccati praeteriti memoria non occurrat, tunc sufficit, est enim contritio virtualis. Si autem odium peccati sit ex motivo inferiori proprio attritionis, ad remissionem peccati requiritur Sacramentum; ad hoc autem exigitur confessio peccati praeteriti, quacum memoria peccati certe existit, et quae dolorosa esse debet; unde in Sacramento non potest praescindi a detestatione formali peccati.

Docemus 3) quod cum advertit animus ad futurum et possibilitatem peccandi in futuro, si non ponit explicite actum propositi, argumentum est veram detestationem peccati in animo non existere.

Ratio est, quia nulla potest esse ratio cur non ponatur actus propositi, nisi haec, nempe quia deest verus dolor. Nam existente detestatione peccati et ea actuali cogitatione, adsunt omnia determinativa explicationis actualis illius actus, qui implicite in detestatione continebatur; quid enim amplius desiderari potest? Atqui existentibus omnibus determinativis, exercitium facultatis sponte et naturaliter sequitur; ergo. Et advertit quod non amplius agitur de aliquo actu, ad quem voluntas sit indifferens; nam iam voluntas se determinavit ad propositum non peccandi cum se determinaverit ad id quod est propositum virtuale et ita se determinavit, ut haec fuerit habitualis animi dispositio, si possit poni formalis actus propositi, poneretur: cum ergo potestas adest, necesse est ut actu sit.

Dices, licet voluntas non sit amplius indifferens quoad specificationem actus, est tamen adhuc indifferens quoad exercitium, atque potest detestando peccatum abstinere ab actu propositi hac ratione, quia ille actus non est necessarius, cum sufficiat propositum virtuale.

Respondeo primo quod indifferentia exercitii tollitur eo ipso quod existunt determinativa exercitii facultatis; quod quidem exercitium

liberum est, quia voluntas libere detestata est peccatum, seque libere in ea dispositione posuit, qua abhorreat ab omni peccato postea committendo; sed hac dispositione existente et accedente cogitatione futuri peccati possibilis, cum aliquis actus voluntatis hanc cogitationem consequi debeat (ut ex philosophia supponimus), non potest sequi nisi actus explicitus propositi non peccandi.

Respondeo II: dato etiam modo quod propositum non sit necessarium ex lege aut institutione divina, haec tamen non est ratio sufficiens cur non ponatur actus; nam cum adsunt determinativa actus, sive ille sit ethice debitus, sive non, existit necessitate naturali. Praeterea ut in his adiunctis non existeret actus explicitus propositi, oporteret voluntatem positive se opponere et hunc actum elicere, *nolo proponere explicite*; secus enim sponte consequitur actus propositi: at advertit quod ille actus non debet excludere detestationem peccati et propositum virtuale. Verum ut ille actus non excludat detestationem peccati et propositum virtuale, debet esse talis, ut aequivalet huic: quamvis nolim amplius peccare, nolo tamen id explicite proponere; atqui si actus aequivalet huic, in hoc ipso exercitio facultatis iam continetur, licet minus distincte, propositum non peccandi; ergo. Quocirca poterit quidem huiusmodi propositum verbis exterioribus aut etiam interioribus non exprimi, at semper in iis adiunctis actus existet voluntatis, quo ipsa abhorreat a peccatis futuris apprehensis; hic autem est actus formalis propositi. Ergo si in iis adiunctis propositum formale deest, dicenda est deesse quoque detestatio peccati.

Corollarium. Cum propositum sit pars essentialis contritionis disponentis ad iustificationem, illud necessarium est ea necessitate medii et praecepti, qua necessaria est contritio, sive propositum formale sive saltem virtuale.

THESIS XXI.

(q. 1. aa. 2. 3.)

Cum multiplex possit ratione habita motivi distingui contritio, ratione habita effectus duplex tantum species contritionis distingui solet, perfecta nempe, quae citra Sacramenti realem usum hominem Deo reconciliat, et imperfecta, quae sine Sacramento id nequit praestare: eaque contritio proprie dicitur, haec proprio nomine attritio vocatur. Illa ex amore Dei, haec ex timore poenarum vel desiderio beatitudinis vel turpitudine peccati concipi dicitur.

1. Contritio definitur: dolor et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Ubi vidimus duos indicari